Opuscula

ORTUS
PERENNIS GLORIÆ,
In Occasu Vitæ,
Clarissimi olim & Excellentissimi Domini,
D. M. GREGORII GEORGII KOSTOWSKI,
Philosophiæ Doctoris, Astronomiæ & Geometriæ Ordinarij Professoris, Collegæ Majoris Vocati, S. R. MAJESTATIS Privilegiati Mathematici & Secretarij.
Dum Grodnæ ad Generalia Regni Comitia, Ab Alma Universitate Crac: legatione fungeretur, Dolendô fatô erepti.
Exequiarum die,
A Mæstis Ordinibus Academicis,
In Ecclesia Collegiata Divæ ANNÆ Crac:
Pijs Manibus ejus persolutarum
OBSERVATVS;
& per
M. MATTHÆUM JOSEPHUM KOLENDOWIC, Philosophiæ Doctorem & Professorem, Collegam Minorem, Contubernij Sisiniani Seniorem.
Lugubri penna
DELINEATVS.
Anno quo
Orta MoDô CeLsô LeX, fataqVe fInIIt OrbI.
Die 16. Mensis Januarij.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

ORTUS
PERENNIS GLORIÆ,
In Occasu Vitæ,

AD Astrolabium Geni!
Pro Calamo sume Tubum Opticum,
Ortus Tibi & Occasus notandus venit.
Cæli faciem ut melius consideres,
Oculos & frontem in res mitte sublunares.
Utiq; has Ptolomæi, Platones, & alij siderũ splẽdore illustres Viri,
in Cælestia transtulere Signa.
Res in Orbe motui & vicissitudini subjectæ,
Tuæ considerationis Objectum sunto,
Et ne farrago obscuritatem invehat,
Vnum cæteris præstantius, speculari præstat,
in quo motus & Phænomena elucescunt.

Quæris illud?
Homo Viator est;
Qui sicut Microcosmos dicitur, ita sine suo Sole
subsistere nequit.
Hinc sequitur
Intellectum ejus, SOLEM dici debere;
ut Ortum & Occasum rectè inferas.
Splendore SOL: intellectus lumine rationis elucidatur.
Ille Universi Oculus est,
hic parvi Mundi delicata pupilla
& nobilior pars.
Et cùm multam inter se dicant Analogiam,
hoc tantùm inæqualitatis habere videntur,
quòd
Soles occidere & redire solent; nobis cùm semel occiderit brevis lux,
nox est una perpetuo dormienda.
Communis naturæ id speciale sancitum est
Occasum spectare, quidquid ortum vidit.

Cum

Cum hoc nisi discrimine.
Quorum vita, non virtutis luce, sed vitiorũ lue, illustris erat,
his in occasu Ortum inglorium esse.
Callidi Sinones, & impij Herostrati,
ex flãmis Trojæ, ac Ephesini Templi, ortum gloriæ præstolãtes,
incendiô extingvuntur.
Viri Sapientes & Virtuosi
inter sepulchrales umbras, Nominis claritatem nacti,
rident mortalem hesperuginem,
quibus illustrior arridet Phæbus.
Phænices veri,
in Occasu suo, ex cineribus in ortum gloriæ evolantes.
Solis ectypum gerunt, qui in occasu major conspicitur,
& uni disparet Hemisphærio, in alterum oriturus gloriosè.
Ortum ejusmodi refert in occasu suo
Clarissimus olim & Excellentissimus Dominus,
D. M. GREGORIUS GEORGIUS
KOSTOWSKI,
Phil: Doctor, Astronomiæ & Geometriæ
Professor, &c.
Maturâ & celsa indole, Musas salutavit Cracias,
priusq; sub remotiori Sole, bene suum excoxit ingenium,
ut Cracio Phæbo meliùs responderet.
Cùm nihil mediocre, nihil humile in se teneret,
prætextatus videri, & Iuveniles Annos præferre nolebat,
ut in primo statim sui ortu, summus & gloriosus esset.
Ingenium ejus omnium disciplinarum capacissimum,
& vis Animi exercitatissima
omnibus sufficiebat libris:
quibus versandis continuò adhæserat
ceu Prometheus Caucaseæ rupi,
Felix Theopompus.
Festa Vacunæ, virtuti infesta directe arguebat.
Cumq; sæpius in Iagelloneo Peripatho, omnigenam virtutem
& solidam eruditionem pro præmissis poneret

illationem Laurearum Capiti suo meruit.
Hic jam coronatæ frontis Apex
nil non excelsum, nil non sublime tentat.
Divinæ Mathesi solidè incumbens
Mente domos Superûm pererrat.
Planetarũ stationes, stellarum distantias, parallaxes & motus,
pertinaci indagatione lustrat, & effect⁹ insigni profectu illustrat.
Diurnam speculationem insomni nocte continuat,
ut simul, & Solis & aliorum Planetarum aspectus examinet.
Iungit noctes diebus Cleanthea luce
ut conjunctiones & oppositiones Astrorum optimè noscat,
vel ut ortum perennis gloriæ nanciscatur.
Totus impallescit Libris
ex toto naturam & virtutem Cælestium luminum indagando.
Construit accuratissime Opus,
non mole sed labore ingens;
quod non dum in lucem prodit
& jam æstimationem meretur.
Circinno Corpora Cælestia ambiens,
ultra Sphæram Mathematicæ professionis
Ad Classes Novodvorscianas progreditur.
Quæ Triumphale tunc Celeusma occinere visæ
ejusmodi nactæ Argonautam.
Cum quo feliciùs Classistica Iuventus
quàm cum Iasone Thessala pubes navigabat.
Siderum quippe observator & morum,
Nobilissimæ Juventuti,
& digna eruditione præfulsit
& prudenti moderamine præfuit.
Humanioribus deditus,
Divinam non intermisit Mathesim.
In Grammatica Conjugationes,
In Pöësi Pegasum,
In Rhetorica Figuras,
In Dialectica Circulos
docuit, pinxit, ostendit, formavit;
tam clarè & ingeniosè, quam cultè & subtiliter.
Post

Post quinquenne Classisticum navigium,
cum in Philosophicum influxisset æquor,
Euclidis Elementa ita liquidissime explicuit,
ut animi ejus perspicacitas, & mentis ebur spectaretur.
Quamcunq; orsus ducere figuram,
in ea Ortum gloriæ suæ circumtulit.
Eminebat in Linea subtile ingenium, & rectitudo vitæ;
In Circulis, eloquij rotunditas & perpetuus honor:
in Triangulis, omnimoda perfectio Viri,
in quadrangulis, constans animus, & mens immota labore.
Isoscelen, Scaleno; Rhombum Parallelogrãmo conferendo,
diversa videbis, si lineam spectes;
si mentem Authoris
quamlibet, rectangulam vel æquilateram appellabis;
utpote qui à recto deflectere ignoravit,
Virtutem cum Sapientia ex æquo complexus.
Gravis gestu, incessu, & actione cum fuerit:
in hoc levitatem præferre visus,
quòd in formandis Mathematicis characteribus,
in scribendis amplis voluminibus
suâ semper usus pennâ
vicariâ nunquam.
Quanti sit momenti illius annua Ephemeris!
in ordine cujus plurima manuscriptorũ congessit volumina:
Quæ cùm multis distinxit figuris & lineis
Veræ scientiæ ideam, vivum diligẽtiæ & peritiæ reliquit exẽplar.
Quocunq; Ortum sui circumtulit,
Oculos intuentium in admirationem & venerationem flexit.
A singulis Divinus Plato credebatur,
qui cum Dijs vel de Dijs loqueretur.
Aereæ Constitutionis Cæliq; sitûs
exactissimus Observator,
momẽtis tẽpora examinavit, ut certò futuros evẽtus dignosceret.
quodcunq; Cælis servatum secretum vidit,
verus interpres Deorum mortalibus retulit,
tam certò & infallibiliter

ut spectante curiositate probante experientia
quidquid in prognosi scripserit,
Oraculum esset.
Tantæ ingenij solertis felicitati
pari voto respondet fortuna,
priscis non invidenda seculis;
quòd Regibus & Astrorum & Astronomorum amor inesset.
Vidit Orbis
quanto honore
SERENISSIMUS & INVICTISSIMUS
AUGUSTUS II.
Poloniarum REX &c. &c.
dignatus est KOSTOVIUM.
Phæbus hic Lechicus
Regalis splendorem Solij augeri censuit,
à tanti Viri eruditione.
Hunc adstare Throno suo solenne duxit,
quem omnigenæ scientiæ circumstabat fulgor,
comitate morum & præstantiâ comitante.
Adhæsit Cordi Principis,
qui ubiq; stare gloriosus didicerat.
Et quem Rex arcana Deorum apprimè nosse scivit,
Suæ Majestatis Secretarium fecit,
Imò plus ultra in sua liberalitate progressus;
Principi Mathematico
Regium conferendo Privilegium.
Hic verum Archimedem KOSTOVIUM videas?
Ex radianti virtute, & pellucida rerum experientia
Crystallinam in Regio Palatio Sphæram fabricavit,
Ubi SOLEM, & Joves ipsos videri fecit.
Hinc sensit abunde beneficos aspectus SOLIS AVGVSTI,
Exper-

Expertus gratiosos influxus Principum,
agnouit virtutem activam Magnatum,
adeo; ut hæc primæ magnitudinis in Polo Lechico Astra
ad sui gloriam obsequij inclinarent KOSTOVIUM.
Quare de feliciori SZEMBECIORUM Amalthea
Cornucopias Gratiarum & respectuum
legere cæpit favorabiliter.

Quem
CELSISSIMUS PRINCEPS,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,

D. STANISLAUS
à Słupow
SZEMBEK,

Archiepiscopus Gnes: Legatus Natus
Regni Poloniæ, & M. D. Lithvaniæ
Primas, Primusq; Princeps,
Rerum in Orbe Lechico Stator,
Sapientiæ Oraculum, & Sacer Entheus,
eruditorum Lidius Lapis,
ab auge Celsitudinis suæ, singulari respectu insignivit,
summa æstimatione decoravit.
Principum Phænix
Flos Præsulum & Virtutum liliatus,
Aureum Sapientiæ Caput,
& Literarum Amor.

CELSISSIMUS PRINCEPS,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,

D. CASIMIRVS
à LUBNA
LVBIENSKI,
Episcopus Cracoviensis,
DUX SEVERIÆ.
Frontis eburneæ favore serenavit,
in candido vernantis Gratiæ sinu fovit,
& tanquam venustiorem eruditorum Gemmam
appretiavit.
Consiliorum Tripos, & Legum amussis
firmissimum Divæ Themidos propugnaculum,
& Sapientiæ Lycæum.
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. CONSTANTINUS
SZANIAWSKI,
Episcopus Vladislaviensis & Pomeraniæ
Amplissimis favoribus auxit,
stabilivit, & Gratijs firmavit.
Supremæ Regni Sphæræ nitidissimum jubar,
Ingeniorum Ocellus, Orbis Lechici Lumen & columen
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
D. JOANNES
à Słupow
SZEMBEK,
Supremus Regni Cancellarius, Capitaneus Graudentinensis, &c.
ingenij excellentiam, & mentis elevatæ specimen
linceâ prospexit pupillâ, & roseo Ore
non tres tantum, sed omnes Charites consignavit
in KOSTOVIO.

Ita

Ita sanè Regius Mathematicus,
Principibus Genijs & Motricibus Orbis Lechici Intelligentijs
admoveri debuit.
Illustrissimus & Excellentissimus Dominus,
D. JOSEPHVS
de Magna Konczyce
MNISZECH,
Supremus Regni Mareschalcus, &c. &c.
Scipio Sarmaticus & Consus.
Sublimis ingenij purpurea radians luce,
in felicitatis auroram.
Illustrissimus, & Excellentissimus Dominus,
D. JOSEPHVS
in Olexiniec & Korzec DUX
CZARTORYSKI,
Magni Ducatus Lithvaniæ Vexillifer,
Regum Sangvis, honoris apex, & Lithavæ gloria Gentis,
in honoris meridiem,
cessere KOSTOVIO.
Sub quorum Auspicijs & patrocinio
Annorũ exordia in suis Ephemeridib' Orbi gloriosè divulgavit.
Nil sane obscurum annua revolutio præsagiebat,
tantorum Nominum luce circumfusa.
Nil terrificum & Gentibus minax,
tantarum Familiarum benefico respectu insignita.
Numeroso concursu, alia Magna Orbis Lechei sidera,
geminant gratiosos influxus in Virum
quorum syllabum recensere, stellas numerare est.
In tam præclari occasu Viri, lippiẽtes imò liquescẽtes in lachrymas
dum hæreant Oculi;
Ad Dioptram se confert Genius.

Magnitudinem nominis ut sibi recte metiri liceat,
in Camporum latifundia
& montium colles progredi libet.
Nobilissimus hic Geometra,
Quoties vocatus in agros, magis strepitu Juris, & animorũ fluctibus,
quàm fluctuante aristâ commotos,
Partes adversæ in rectitudinem sensûs convenire,
& tanti judicio Arbitri acquiescere visæ.
Uno equidem actu
& limites posuit, & lites composuit.
Quisq; superjectus Camporum finibus tumulus,
eminentiam Viri & ortum gloriæ;
quisq; sulcos Agrorum terminans cespes,
integerrimæ vitæ signat Virum.
A puncto quippe Justitiæ,
perpendiculariter rectam duxerat lineam
ut totum ambitum æqualiter secaret,
& utramque partem totaliter contentam redderet.
Legent Posteri
quem luget Universitas Virum!
Si lugens dicenda,
quæ Ortum gloriæ Viri in occasu legit.
Occurrit sibi præsentissimus,
In Imagine rectefactorum lineis, æternitati depicta,
Occurrit eâ frontis Majestate,
hac verborum pompâ,
quâ Legationes publicas, ad Generalia Regni Comitia obeundo,
in præsentia SERENISSIMI REGNANTIS,
in facie purpurati Senatûs
gloriosè pro Iurium Vniversitatis integritate,
& Privilegiorum conservatione steterat,
ipse integerrimus vitæ
& omni honoris privilegiô dignissimus.

quâ

quâ terrestria Numina,
venerandosq; Patriæ Patres
Majestuoso & verendo Ore allocutus,
Vota ALMÆ MATRIS & desideria explicuit,
tantò efficaciùs, quantò solennius.
Cujus grandævam in Toga gerens Personam,
Orbe toto Spectatore & Judice
justa ferre & referre cernebatur,
Cælorum Nuntius.
Viderat Fatum tantam in Viro activitatem & inviderat:
Debilitate, qua ipsi quoq; Planetæ laborare dicuntur,
oppressum, lecto allisit Astronomum,
ut terris ereptum Astris inferat.
Grodnæ igitur doloribûs circumventus;
Occasum vitæ suæ præsagiens,
cùm Sacratissima Synaxi reficiendus esset,
Togâ se Academicâ indui,
& sic indutum tumulari petijt,
Vt se Libitina non aliter, nisi in fũctione Academica deprehẽderet.
Ah meminisse dolor!
Occidit insigne Orbis Academici sidus!
ut verius Cælestia specularetur Astra,
oculorum lumina clausit;
ut perpetuum gloriæ haberet Ortum,
in Accrescenti Lunæ Nonis Decembris,
ad sepulchrales umbras & fatalem declinâsse
visus in occasum.
Cedit libens Carmelus in se tumulum KOSTOVIO;
ex tantis Cineribus altius surrecturus.
Et bene:
Stelliger hic cum fuerit,
Vt post fata quoq; speculationi Cælesti vacare possit Astronomus
ad sua illum humanissimè invitat Astra.
Et nè calens ad gloriosa quæq; ingenium, sub gelido marmore
extingvi dicatur,

Ardentes Elianos ignes illi accomodat.
Quare in Basilica Religiosissimorum
PP. Carmelitarum Discalceatorum Grodn.
tumulatur;
Orbe toto cordis Epitaphiô dignus.
Et qui totus in sinu ALMÆ MATRIS,
totus in cordibus Patrum recumbit,
post fata sui, Cineres Lithvanis in oris Grodnæ reponit,
ut non uni Regno
Ortum suæ gloriæ deberet.
Tam lugubrem Occasûs Viri Clarissimi Scenam,
dum publica, canens in Orbis theatro, aperit Fama;
cunctos Ordines Academicos
inopinatô conturbat fatô;
quòd sibi Philosophus Subtilissimus,
Astronomus Solertissimus,
Geometra Nobilissimus,
Hypocrates Commendatissimus,
Cosmographiæ, Chiromantiæ &c. peritissimus,
defecerit KOSTOVIUS.
Vestra tamen vel maximè lancinat corda dolor,
primarum in Orbe Literario Sphærarum motrices Intelligentiæ
Magnifice Perillustris & Admodùm Reverende Domine
D. M. ADALBERTE
JODŁOWSKI,
J. U. Doctor & Professor, Ecclesiæ Collegiatæ SS. OO. Crac: Custos, Almæ Universitatis Cracov: Generalis
RECTOR.

Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,

D. M. MARTINE OSLINSKI,

S. Th: Doctor & Professor, Ecclesiæ Coll: S. ANNÆ Crac: Decane, Scholarum Novodvorscianarũ & Contubernij Hierosolimitani Provisor.

quòd in publicæ felicitatis aurora præradians KOSTOVIVS,
ad Occasum mortalis vitæ properat;
& qui ad motum, atq; ad nutum Vestrum
regulariter movebatur,
vi fatorum ad umbras rapitur.
Vnde qui nuper delicium, & plausûs materies erat,
nunc luctus & squalloris.
Vos tamen in solatium substituit.
Rectissimi ultimarum Tabularum Executores.

Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine,

D. M. FRANCISCE MATERSKI,

S. Th: Baccalauree, Coll: Major, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Scholastice.

Probata illi fuerat vitæ tuæ integritas,
Animi candor & rectitudo.
Ergo in universali Almæ Matris sinu quiescere volens
singulariter tuum pectus exambit,
ut quem Vivum tibi amicissimè hærentem tenebas & colebas,
defunctum extatico FRANCISCE Spiritu, in Cælos levares.

Clarissime ac Excellentissime Domine,

D. M. MATTHIA ZIĘTKIEWIC,

Philosophiæ Doct: & Professor, Collega Major Vocate, Contubernij Jagelloniani Senior.

 Sorte

Sorte felici,
Te sibi cessisse in comitem Legationis Grodnensis noverat
unde quoq; Mentis suæ Præstitem, imò Successorem fecit,
Te Pyladem,
verus amavit & æstimavit Orestes,
æquali virtute, pari activitate, non dissimili curâ
bono publico allaborantem.
Sortes suas innocentes, Tibi commisit disponendas,
optimè persvasus, non aliter bonum finem sorrituras
nisi per manus MATTHIÆ.
Castor ille,
mortalibus umbris involutus cum fuerit:
Tu fervido amore, ardenti pietate
Supremum urgebis Numen,
ut qui Universitati, optavit & optat felicitatis Meridiem,
ipseq; ex se retinet perennis gloriæ;
te quoq; cooperante POLLUCE
lucis perpetuæ,
habeat
Ortum.

